

triremibus multo vastior atque procerior, oneraria magna alia, militibus amplius sexcentis tormentorum atque missilium omni genere instructissimæ. ex iis ad impediendas frumentarias, ne Arni fluminis ostium ingredi possent, biremes miserunt: reliquæ duæ magnæ, ut in triremes impetum facerent, remis velisque propellebantur. Id præfetus conspicatus, triremem unam cui maxime confidebat, commeatui præsidio reliquit: ipse cum reliquis proiectus, tametsi periculosem esse intelligebat cum tam magnis navibus configere; tamen, propterea quod videbat omnem ejus belli fortunam in eo commeatu supportando consistere, ad eas conversus citatis remigibus suæ navis proram in longæ hostium latus magno animo imprimit. Conflictu mutuo ambæ naves concutiuntur, & hostes manum ferream in præfecti navem jaciunt, eamque retinent. Itaque omni telorum generi cominus acerrime utrinque pugnatur: sed de superiore loco hostium milites tela in Venetos adientes, facile eos vulnerabant: tum pilas piceas igne succenso in triremem jaciebant, quæ res magnum incommodeum præfecto attulit, transtris compluribus, & majore velo igne combustis: ut qui proximi pugnarent milites, remigesque perterritur, atque animos virtutemque remitterent. Veruntamen & reliquæ aderant, ut quæque poterat, triremes, & utrunque navem hostium virtute magis atque artificio gubernandi, celeritateque remorum, quam viribus & facultate lacescebant: & modo hac, modo illac concitatæ inferebantur. At navis magna hostium pilas ferreas creberrimas tormentis in triremes jaciebat, & si qua ei appropinquasset, saxa & tela insuper e carchesiis jaculabatur. Pugnatum est acriter ab utrisque continenter horas ferme quatuor: cum interea navigia commeatum convehentia unius triremis præsidio, quæ biremes quatuor fortissime pugnando repulerat, ostium Arni fluminis capiunt, uno tantummodo navigio amicho, quod tamen sponte ad Triturritam vela converterat. Præfetus id, quod unum maxime cupiebat, affecitus,

ut